

Quaestio medica ... An conficienda bili a mesenterio oleum, a faecibus liquor alkalinus? / [Jean Nicolas Millin de La Courvault].

Contributors

Millin de La Courvault, Jean Nicolas.
Petiot, Honoré (Jean Honoré), 1715-
Université de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [Typis viduae Quillau], [1752]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ua3a88ak>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI - PARÆ , ET S. LUCEÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA ,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
mane discutienda in Scholis Medicorum, die Sabbati trigesimâ mensis
Decembris, anno Domini M. DCC. LII.

M. HONORATO PETIOT , Doctore Medico ,
Præside.

An conficienda Bili à Mesenterio Oleum, à facibus liquor alkalinus?

I.

VERITATIS ignoratione , hominum opinio in maximâ versatur inconstantiâ. Hinc controversiae & Philosophorum discidia , hinc alia aliis succedunt systemata , quibus distracta mens multis implicatur erroribus , neque optimum cernere potest. Quod cum aliis in rebus physiologicis , tûm imprimis in inquirendâ bilis origine conti-

A

2

git. Qui primi scripserunt Graci & Arabes , ut varias bilis species , ita in multiplices de ejus origine abierunt sententias. Juxta eos suam singulis partibus bilem innatam credas. Deinde Chymia triumphali veluti curru inventa , prostratae priori sectae victrix insultavit : ea nihil non fermentationi tribuebat , quæ mox officinas commutans hominum corporibus , ingestorum coctioni , fecernendorum ejectioni , omnibus denique functionibus præfecta est. Inde bilem è sanguine per fermentum commutato derivarunt. Hæc sententia cùm invanisset , rebus dudum florentibus , fuit deinde deturbata , in medium adductis oleosis partibus atque sulphureis , quibus alii bilem confererunt. Sic incerta fuit Chymicorum opinio ; sic spes melioris Physicæ , cui purior lux ab experimentis Chymicis affulserat , stetit in præcipiti , ab eâdem illâ tumulanda manu , quâ sumpserat incrementum. In eorum refellendis opinionibus non immorabimur. Si è mammis uti ex cuté aliquando excerni sanguinem observassent alii , si alii producendis bilis virtutibus non sufficere quidquid oleosum est atque sulphureum , non ita sanè errassent. Nonnulli rati quidem bilem in Hepate produci , inanes hujusc productionis causas commentiti sunt : nec etiam defuere qui in ipsâ sanguinis mole eam innasci contenderent ; sed ejusmodi opinionum meminisse , eas refellere est. Omissis igitur talibus figuramentis , variorum phænomenon & causas & modos perpendamus , & quantum ad bilis originem conferant fæces oleumque Mesentericum , ex ipsiusmet bilis & indole & proprietate nobis probandum incumbit.

I I.

BILIS denominationem sortitus est ille humor qui in Hepate secernitur , quo post sanguinem non est aliis utilior. Eum penès est chyli elaboratio ; chylum etenim à ventriculo in intestinum duodenum advectum , omnibus veluti numeris absolvit bilis ; (a) oleosa miscet aquosis ; si quid in gummi vergat aut resinæ naturam , dissolvit ; illudque præstat , ut hæterogena sub easdem leges se mitti patientur , & in eandem naturam atque indolem facescant. Hinc dum chyli pars fæculentior ad crassiora progreditur intestina , remanet subtilior probè elaborata , quæ lacteis hausta venis , in communem sanguinis alveum ultrò defertur , mox & ipsa futura sanguis. Quasnam autem vices hic agit bilis ? Saponis , quo conci-

(a) Boerhaav. institut. medic.



liante immitia placidis adjunguntur, in unum coēunt. Saponem omnia indigitant; Bilis cerevisiae corrigit acorem, colores, quod pictoribus notum, diffundit; maculas detergit ex linteis; quæ dotes omnes in unum saponem cadunt. Coalescit autem sapo ex partibus oleosis & alkalinis, atqui ex iisdem principiis coalescere bilem, suaderet ejusdem rancor & amarities, probat experientia; (a) si etenim bovinæ bilis libræ admisceatur aluminis semis uncia, tunc agitatâ mixtione, oritur effervescentia, turbidus liquor coctiles cancros odo-re mentitur, & paulo post quædam in fundo secedit materies, supernatante durâ coactâque pinguedine: acidum scilicet vitriolicum tunc cum alkalinis partibus mutua jungit fœdera, hinc fit sal ammoniacale, quod cum terreis aluminis partibus ad ima delapsum, oleolas bilis partes expeditas relinquit. Non audiendi sunt igitur, qui bilem ex oleosis tantum sulphureisque partibus collegerunt, (unde enim humoris oleoso-sulphureo vis saponacea) nec qui è sanguine, nullo præviæ mutationis interpositu, confe-rere bilem tam singularem, tantoque intervallo ab eo distantem. Non potest etenim sanguis alkalinum salem habere, quin prius eundem receperit ab aliquâ substantiâ, eum producente? Sed hæc hactenus, & cum bilis manifestò constet ex partibus oleosis & alkalinis, sive fixis sive volatilibus; (b) testante experientiâ, ha-rumce substantiarum nunc fontes aperiendi sunt.

I I I.

TO T U M corpus oleosâ turget pinguedine. Eâ veluti difflit tela cellularis: hinc & facilior musculorum motus, & nitidior corporis habitus existit. Sed non alibi scaturit uberior, quam in Omenti Mesenterique gyris & anfractibus, undè inunctis intef-

(a) Mémoires de l'Academie des Sciences terjectis paucis diebus emplastri, ac resinæ année 1709 par M. Homberg.

(b) Bilis cystica bovina, sana, & satis fluida, instillato oleo vitrioli confestim coagularur. Pallida fit atque foetens, amari-tiem amittit, tandemque materia valde mu-cida ad fundum secedit, aquæ autem supernatanti perfecta redditur pelluciditas. Cum aquâ forti promptissimè quoque in coagu-lum densum, amarissimum abit, quod, in- terjectis paucis diebus emplastri, ac resinæ consistentiam, cum colore intensè viridi, acquirit. Coagulum quoque inducunt spiritus fali & quævis acida reliqua, diversæ ta-men, pro fortiori vel debiliore acore, consistentiæ. Si coagulis hisce alkali quoddam fluidum, sive sit fixum, sive volatile S. Q. additur, protinus effervescentia oritur, & pristina fluiditas cum sapore & colore natura-li bili, restituitur. Jo. Frederic. Cartheuser.

tinorum parietibus, in venas denuò relabitur, (a) ad Hepar meliori conditione deferenda. Exorienti oleo præstò est sal alkalimum, cuius duplex est ratio. Illud confici igne vel (b) putrefactione consentiant Chymici. Igni quidem hic parum vel nihil prorsus tribuendum, (c) quanquam accepimus interno calore quosdam homines sic combustos fuisse, ut eorum ossa in cineres abirent. Putrefactioni verò quis locus? Tunc tantùm corpora putrescant, cùm calor intimus aërem inclusum sic attenuat & evolvit, ut jam carceris impatiens, intrà sua repagula non possit contineri. At patet cuilibet attendenti nullas corporis nostri partes, si fæces excipientur, in hanc fermentationis speciem venire posse: quæ etenim à fluidis diffunduntur, quæque rursus in fluida resiliunt solidæ partes, id agunt, ut sanguinis circuitui, partium inutilium excretioni, novarum applicationi nec mora sit nec requies, uide perennis motus, & partium renovatio quâ omnis arcetur putrefactio. At unde igitur alkali? A fæcibus; quantâlibet copiâ ingerantur alimenta, non nisi intra vigenti quatuor circiter horas alvus deponitur. Quamobrem multâ morborum vastitate corpus infestum esse compertum est. An autem nectuntur tam longæ alimentorum quisquiliis moræ, ut extremam nobis inferant labem? Tam graviter errasse ne credideris matrem providam, quæ suorum salubritati tanto studio consulit. Sua est tardis fæcibus utilitas; dum in communi receptaculo, vel potius cloacâ diu continentur, motu compinguntur vermiculari: foventur partium ambientium calore: commixtus iis aër tunc incalescens, rarer fit & expanditur: obstantes sibi effringit obices: suique juris factus, intestinam meditatur fermentationem, quâ, uti testatur odor, (d) in putredinem tota abire incipit olida materies. Et quoniam alkalini salis quælibet putrefactio fomes, illud quidem jam in promp-

tom. I. cap. 2. de mod. operand. ac virt. ne, utitur. Jo. Frederic. Cartheuser. de salin. medic. sal. alkalin. fix.

alkalin. fix. & volatil.

(a) Vid. quæstionem medicam, à M. Achille-Francisco Fontaine, propugnatam in hisce scholis anno 1731, præside M. Francisco-Josepho Hunauld, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, & in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Professore.

(b) Præcipua alkalium volatilium genitrix est putrefactio, ac medium communissimum, quo natura in salum hujusmodi generatq-

(c) Essai sur la génération de la chaleur des animaux par M. Martine Docteur en Medecine de la Société Royale de Londres & de celle d'Edimbourg.

(d) Hic stagnans tunc siccum, durum; figuratum, putrescens, foetidum, stercus demum fit haud alibi tale. Boerhaav. institut. medic.

5

tu est. Sed in eandem sententiam plura alia consentiunt, ac veluti conspirant stabiliendam. Norunt omnes in ventrem ægrè exonerantibus, bilem multo graviori rancore & amaritie donari, quam si alvus facile fluat. Scilicet, fæcibus diutius retentis, liquoris alkali-ni vis augetur & copia. Hinc aliquatenus pendent, quæ tunc ob-servantur, venarum turgescentia, faciei oculorumque rubor, dolor capitis, membrorum torpor. Laetantibus quorum excrements vel debilem referunt, vel subacidum saporem, non modò nihil bilio-si laticis inesse repetitur, sed qui ex Hepate stillat humor, saponaceâ virtute, deficientibus alkalinis, prorsus destitutus, fit gummâ resi-nosisque corporibus dissolvendis impar; quibus argumentis si ac-cedant ea quæ ad alimentorum qualitatem pertinent, fit misera eorum conditio; qui enim in longioris ævi spem nati erant, tol-lit eos è medio frequens venarum lactearum & Mesenterii obstruc-tio. Utrum igitur intra viscera nostra existat sal alkalinum, à quo fonte manet, quis inquirat præterea? Jam verò si necessariis, ad Hepar usque illud deferri, evicerimus argumentis, nonnè bilis gene-rationem & ortum oculis penè ipsis, subjecerimus.

I V.

HUMANI corporis fœdera manent marabili partium in-ter se commercio. Ventriculum excipiunt intestina, ex qui-bus natæ venæ lacteæ succum nutritium invehunt in venas & arterias, quæ illum per omnem corpoream compagem longè latèquè diffundant. Non dissimili viarum commeatu sibi invicem commit-tuntur intestina, Mesenterium, & Hepar, ut videre est. A Jejuno, Ileo, Cæco, & maximâ Coli parte sobolescens, omnes ferè Mesen-terii ambages emensa Mesaraica vena superior, inferiorque ab arcu su-periore Coli, & ab ejusdem intestini sinistrâ lateralique parte exor-ta, ambæ in Splenicam coëunt, quæ ad Hepar suum meditatur iter. Quamobrem hoc viscus suis instructum glomeribus, queis arteriæ Hepaticæ Portarumque venæ inosculantur divisiones, affluentibus inde variis liquoribus, commune veluti quoddam receptaculum oc-currit. Illuc igitur via facilis patet & Mesenterii oleo, & fæcalis materiæ liquori alkalino. In crassis intestinis multa hiant venarum lactearum oscula, quorum præsentia & usus ex Enematibus diù re-tentis, sæpius non dejectis intelliguntur. (a) Quid verbis opus est, de-

(a) M. Winslow dans son traité du bas-ventre n°. 218,

teguntur nudis oculis ; ab iis assumptum fæcum alkali , eodem modo ; quo lacteis venis exsugitur chylus , in venas Mesentericas immittitur ; monstrat iter liquor per venas Mesaraicas ad crassa usque intestina (a) projectus , monstrat autopsia illuc alkali reipsâ delatum. Eo veluti turget Hæmorrhoidum sanguis. Si Mesenterii venas reseces , & in iis pro secretionum legibus , spissum nigricantemque sanguinem indagaveris , operam perdis ; hic illius fluiditas rubicundusque color , salium alkalinarum opus satis superquè arguent. Quin immò illos tunc à sanguine circumactos , ad varias corporis partes appellentes , aliis defungi muneribus , quid vetat ? Evidem non ægrè crediderim , Mesenterii glandulas subire aliquam eorum partem , quâ fluxilior chylus , benignorem induat naturam ; quam opinionem adjuvat eorumdem salium virtus ; nam admisceatur liquor alkalitus lacti , sero , albumini ovi , sanguini , hæc fluidiora facit , & sanguinem splendidiore magisque coccineo exornat colore. Ut ut sit , sive chylo perficiendo , sive aliis partibus inserviat fæcale alkali , quod præterimus , illud tamen constat non mediocrem ejus quantitatem Mesenterii sanguine innatantem , ad Hepar confluere. Adebat igitur hinc Omenti sanguis oleo turgidus , illinc Mesentericus & oleosis & salinis partibus auctus , sed lento uterque motu : nec mobilior Splenicus admodum necessarius ; (b) scilicet innumera vasorum in Liene divisio , innumeræ in Mesenterio & Omento anastomoses , affluentí ab adversis partibus sanguini pariunt resistentiam. Hinc facilis olei & alkali (c) consociatio , hinc saponacei liquoris indoles , quæ resecto venæ Portarum sinu deprehenditur : hinc prima bilis rudimenta , quæ à sanguine à tergo urgente propulsa per venæ

(a) Injectus Ruischii liquor per venas Mesaraicas , ad crassiorum intestinorum cavitatem pervenit. Constat aliunde ea communicatio , tum avicularum exemplo in quibus , deficientibus vasis lacteis , Chylum exugunt venæ Mesaraicæ ; tum Blasii , Glissonii , & Suwamerdamii testimonio , qui digestionis tempore , sanguinem Mesaraicum albicanti li- quore turgere observarunt.

(b) Sive vasculosus sit sive glandulosus Lien ; constat inter Anatomicos , hunc innumeris rarefere cellulis , quarum capacitas collectivè sumpta , arteriæ Splenicae capacita-

tem longe superat. Hinc sanguis qui ad Lienem fertur , ex loco angustiori ad locum ampliorum transit , proindeque imminutâ ejusdem velocitate , in loco calido , & vicini Coli putridis fæcibus foto , stagnat , resolvitur , initiumque quoddam induit putredinis , quo ut plurimum adjuvatur bilis formatio.

(c) Observandum est animalem nostrum saponem , uti jam diximus , ex partibus oleosis & alkalini volatilibus coalescere , hinc ad sui compositionem varios processus non requirere , in saponibus ex alkali fixo constantibus , necessarios ; maxima etenim ad-

Portarum divisiones & Hepatis conglomeramina , tandem in veram bilem commutantur , per ductus Bilarios & Hepaticum excernendam , dum residuus sanguis cum arterioso , per venæ Hepaticæ propagines ad Cavam suum pergit iter.

V.

PO ST Q U A M probatâ liquoris alkalini ad bilem conficiendam necessitate , liquoris hujus à fæcibus originem , & iter ad Hepar enucleavimus , exposuimusque quo modo cum oleo in venæ portarum sinu , & secretoriis jecoris ductibus eandem bilem progeneret ; quid subesse potest , quo adulteretur proposita veritas ? Frustrà quis objiciat , alios intra corpus dari saponaceos humores qui nihil habent à fæcibus , & ita se habere quicumque ad ciborum digestionem pertinent ; quamvis enim non in Hepate , sed in variis faucium glandulis & in Pancreate secernantur , an continuò eos sanguis ipse è sinu suo , nullâ interpositâ morâ videatur emisisse , Cùm perennis sanguinis motus nequeat prorsū , ut suprà disputatum est , cum putrefactione conjungi , ex quâ oriantur alkalini sales . Verùm enim verò quid causæ est cur illud alkali , si quod in his humoribus agnoscendum sit , non à fæcibus quoque repetatur ? Non aliâ viâ quām sanguinis alveo liquor alkalinus in Hepar deducitur ; quidni eodem sanguine deducente , in alia etiam incernicula transferatur , si quā forte illius ope indigeant . Certè manifestum est sanguini infusum alkali , quoniam ab eo sanguis suam fluiditatem atque rarescentiam mutuatur , fortassè etiam (a) colorem . Harumce propositionum fidem faciunt , tum experimenta quibus salium alkalinarum ope purpureus fit chylus , tum acida quæ humores plus æquo rarescentes temperant , non quidem fictitiis spiculis globulosas & fibrosas sanguinis partes figentibus , (b) sed suâ cum alkalinis salibus coniunctione . Hinc conjicere licet eadem quæ primum gratâ vellicatione stimulant appetitum , eum deinde im-

est effinitas inter animantium olea & sales
alkalinos volatiles , uti res confirmatur spiritu
volatili C C. qui iteratis repetitisque distilla-
tionibus oleofas partes semper retinet .

(a) Notatu quoque dignum est , lac recens ,
cum alkali fixo coctum , aut aliquandiū di-
gestum , sensim flavedinem , tandemque
subedinem contrahere . Talia etiam eveniunt

in lacte nutricum , quando febre malignâ corri-
piuntur . Boerhaav. in Chem. tom. 2. proc. 113.

(b) Acidula ad sanguinem delata partes sa-
lino - urinofas , per causas varias largius geni-
tas , ad naturalem falso ammoniacalem vi-
delicet indolem , reducunt .

Jo. Frederic. Cartheuser. de mod. ope-
rand, acidul.

minuere sensim, & tandem ciborum penitus tollere concoctionem; temperatâ sanguinis alkalescentiâ, sublatâque proinde succorum digestivorum saponaceâ virtute. Cur etiam, si à fæcibus pendeat sanguinis fluiditas, fœtum renibus succenturiatis non ditasset prævida mater Natura, ut qui tunc à Mæconio suam recipere non potest alkalescentiam sanguis, saltem debitâ quantitate, suâ in iisdem stagnatione eam adipisceretur? In iis hypothesibus non immorabimur, & quoniam, inconcussa manet nostræ propositionis veritas, concludimus.

Ergo confiendæ Bili à Mesenterio Oleum, à fæcibus liquor alkalinus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Chevalier.

M. Franciscus Bernard, Chirurgia Professor. designatus.

M. Joannes le Thieullier, Chirurgia Gallico idiomate Professor.

M. Jacobus Verdelhan des Moles.

M. Claudius Person.

M. Ludovicus-Renatus Desbois.

M. Urbanus de Vandenesse.

M. Theodorus Baron, Regis Scientiarum Academ. Socius.

M. Joannes Herment, antiquior Schola Magister & Medicus Regis ordinarius.

Proponebat Parisiis JOANNES-NICOLAUS MILLIN DE LA COURVEAULT, Nivernensis Doctor Medicus Remensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author.

A. R. S. H. 1752, A SEXTA AD MERIDIEM.